

rum publicare doctrinam. Ad has siquidem terras nec aliquis apostolus, nec apostolorum discipulus pervenit, et ideo præfati Nestoriani per se, et per alios pecunia corruptos, persecutiones mihi gravissimas intulerunt, asserentes quod non essem missus a Domino Papa, sed essem magnus explorator et dementator hominum, et facto aliquo intervallo temporis, produxerunt alios falsos testes dicentes, quod aliquis nuntius fuit missus, deferens Imperatori maximum thesaurum, et quod ego illum occiderim in India, et abstulerim quæ portabat, et duravit hæc machinatio circiter quinque annos. Ita persæpe ad iudicium fui tractus cum ignominia mortis. Tandem per cujusdam confessionem, Deo disponente, Imperator cognovit meam innocentiam et malitiam æmulatorum, quos cum uxoribus et liberis exilio relegavit. . . . Unam ecclesiam ædificavi in civitate Cambaliech (Khan balik) ubi est præcipua residentia Regis, quam ante sex annos complevi (1289), ubi etiam feci campanile, et ibi tres campanas posui. Baptizavi etiam ibidem ut existimo usque hodie circa sex millia personarum, et nisi fuissent supradictæ informationes, baptizassem ultra triginta millia, et sum frequenter in baptizando. Item emi successive c. pueros, filios paganorum ætatis infra VII et XI annorum qui nullam adhuc cognoscebant legem, et baptizavi eos, informavi eos litteris Latinis, et *Græcis* ritu nostro, et scripsi pro eis psalteria, cum hymnariis xxx et duo breviora, cum quibus XI pueri jam faciunt officium nostrum, et tenent chorum et hebdomadas, sicut in conventibus sit, sive præsens sim, sive non, et plures ex eis scribunt psalteria, et alia opportuna; et dominus Imperator delectat multum in cantu eorum. Campanas ad omnes horas pulso, et cum conventu infantium et lactentium divinum officium facio, et secundum usum cantamus, quia notatum officium non habemus. . . . Quidam Rex illius regionis Georgius de secta Nestorianorum christianorum, qui erat de genere illustri magni Regis, qui dictus fuit presbyter